Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2053
Quelle:
Copyright:

Constantina & congregati sunt ante ipsum omnis multitudo ciuitatis &c. Produxere *Bollandiani* T. VI. *Jul.* ad h. d. Acta scripta ab *Jac. Sarugiensi*, *Greg. Turonensi*, et e Graeco versa a *Surio*. Praeterea p. 385. meminere Latinorum aliquot a se in *Codd.* repertorum, sed nostra phrasi cum nullis penitus conveniunt.

XIII. *fol.* 107. p. 2. *Incipit Sermo De Confusione Diaboli Et Inferni.* Narratio conficta ad imitationem spurii *Evangelii Nicodemi* occasione promta e C. ejus XX. ut habetur in *Fabricii Codice Apocr. N. T.* p. 279. ubi Diabolus e verbis Servatoris: *Tristis est anima mea usque ad mortem*, spem conceperat eum vincendi et in inferno concludendi. Itaque init: *Audiens diabolus dominum dicentem: Tristis est anima mea usque ad mortem, sperauit se, quia mortem uel crucem pertimesceret, & cepit presumptus fieri. Currens abiit ad infernum et dixit ei. Paratus esto, para mihi locum munitum, ubi recludamus eum, qui dicitur ihesus.* &c. Multa deinceps conquestus de iis, quae Christus in corporibus et mentibus hominum mira patraverat, non potuit tamen Infernum in suam sententiam pertrahere. Et en Victorem claustra perfringentem, et animas Patrum in Paradisum inducentem, qui latronem jam ibi repertum ridicule interrogant: *Nunquid hic ad furtum venisti facere?*

DCCCXXXII.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 59. 12. bene scriptus et minio enotatus *Rituale* est, cujus contentorum Syllabum texam: Initia IV. *Evangeliorum* tardius praescripta cum *Collecta* super agros. Ritus *Baptismi* capite mutilus. *Ordo ad visitandum infirmum* cum administratione extremae Unctionis, sine mentione renum. *Ordo ad sepulturam. Benedictio super amorem Johannis*, contra venena, in qua pro *subietta rana*, quod habet alter Codex hoc *Vol.* relatus, habetur *subdola*, et *squalangus* pro *spalangus*. *Ordo consecrationis cereorum* in festo Purificatae Virginis. *Maior benedictio salis in die sancti Blasii Ep.* cum Exorcismis Salis et Aquae. *Benedictio ad mulieres iacentes in partu. Benedictio ad introuizandum mulieres post partum*, nempe introducendas in Ecclesiam. *Benedictio Cinerum*, nempe in Capite Jejunii. *Ordo in die Palmarum. Ordo in parasceue. Visitacio sepulchri in Nocte paschatis. Benedictio agni in die pascatis;* ita et Lardi et cujusvis carnis, casei, ovorum, panis, porri et caepae. *Ordo in vigilia Penthecostes. Ad faciendum militem*, cum traditione vexilli et ensis. *Benedictio super uolentes peregrinari.* Item *super cruce signatos. Benedictio ad carrenarios*, sive poenitentiam 40. dierum suscipientes, quae *Quadragena*, *Carena*, *Carrena*, *Carina* audit, et illustratur in *Glossar. Ducangii. Ordo absolutionis excom-* R. 3351